



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

171. An Magister tertiæ Classis in nostra Religione, vel ut dicitur, in aliis noviter professorum debeat habere ætatem 35. annorum necessariam pro Magistro Novitiorum iuxtra Constitutiones Clem. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

missum succedat ei substitutus à die professionis, vel Monasterium? Ex part. 6. tract. 7. & Miscel. 2. Resol. 55.

§. 1. **A**firmatiuè respondet Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 8. quæst. 7. Molina de iustit. tom. 1. tractat. 2. disput. 140. Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 10. numero 86. Suarez de Religione, tomo tertio, lib. 0 octauo, capite 16. numero 7. Sanchez in summa, tomo 2. lib. 7. cap. 10. numero 3. & alij. Quia si filiis non debetur statim legitima patris, sed durante eius vita Monasterium retinere illius bona potest, obligantur filij alimenta à Monasterio petere, ipsumque Monasterium obligatum est ea præbere, quod certè, & filiis durum est, & Monasterio non parum onerosum: siquidem sæpe ex suis bonis obligaretur Religiosi filij succurrere, legitima parentis non sufficiente: sicut obligatur pater filiis alimenta præbere, cum legitima non sufficit. Deinde quia professi nulla potest esse successio, cum nulla bona habeat; sed omnia illius bona in Monasterium transferantur, ergo frustra filij eius mortem naturalem expectabant: succedent ergo à die professionis.*

2. Sed his non obstantibus, nouissimè negatiuam sententiam docet Castrus Palaus *tom. 3. tractat. 16. punct. 14. num. 3.* ubi multas adducit rationes pro sua firmanda sententia, & respondet ad argumenta contraria. Et ad primum superius appositum concedit posse filios alimenta à Monasterio petere, ipsumque obligatum esse eis præbere, si aliunde non habent: at cum hæc obligatio non ex natura, sicut in patre, sed ex bonis patris receptis oriatur, ultra ea obligatio extendi non potest, vt bene dixit Abbas *cap. in presentia, num. 77. de probationibus. Syluester verb. Religio §. quæst. 3. Molin. tom. 1. disp. 140. vers. eo ipso.* Denique nego non dari successionem professi; nam esto in sua persona bona non habeat, habet tamen in Monasterio quod ipsum representat. Aliis Religioso habente maioratum, fideique commissum, succederet ei substitutus à die professionis contra superius dicta. Et ex his infertur esse idem à fortiori dicendum, si filius Religionem ingrediatur non debet parentibus legitimam; quovisque ipse obeat: sed interim Monasterium illa frui posse: vt bene tradit Gutierrez *Can. 4. lib. 2. cap. 1. num. 93.*

RESOL. CLXXI.

An Magister tertie Classis in nostra Religione, vel vt dicitur in alijs, nouiter professorum, debeat habere ætatem 35. annorum necessariam pro Magistro Nouitiorum iuxta constitutiones Clem. VIII. Ex p. 6. tr. 6. & Misc. 1. Ref. 29.

§. 1. **H**ic casus omnibus Religionibus potest de facili accidere: & negatiuam sententiam docet nouissimè Carolus Maranta *in controuers. Iuris tom. 2. Respons. 25. per totam.* Nam Constitutio prædicta apertè loquitur de Magistro Nouitiorum; non verò de Magistro Professorum; ergo non est extendenda de vno ad alium casum. Et dicta Constitutio distinctè de his duobus Magistris loquitur: neque in vno Capitulo dicta, atque disposita, in alio disposita, & repetita censenda sunt, cum distincta sint Capicula & à se inuicem distinctam continent dispositionem. Ceteras rationes pro hac firmanda sententia videbis penes dictum Marantam *loco citato*, ubi testatur quendam Fratrem Urbanum à Neapoli Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula deputatum ad curam Clericorum Professorum in Conuentu Sancti Ludouici Neapolitano restitutum fuisse

ad statum suum non obstante, quòd priùs fuisset priuatus per G. neralem ex eo dumtaxat, quod 33. annis annum ageat, & non 35.

RESOL. CLXXII.

An Religiosus professus loquens cum Nouitio absque Magistri licentia peccet mortaliter? Et quid si loquatur cum eo verba vite æternæ? Ex p. 7. tr. 7. & Misc. 2. Ref. 11.

§. 1. **A**firmatiuè respondet Peyrinus *Comment. in Regul. Minim. cap. 2. §. 3. quæst. 5. numero 13.* vbi sic ait: [Mortaliter peccant professi, qui Nouitios alloquuntur extra præsentiam Magistri, vel contra eius voluntatem: quia hoc est contra Constitutionem Pontificum in re graui, contra morem, & consuetudinem omnium religionum, in quibus viuunt cum disciplina, præsertim nostras eo modo, quo de alloquutionibus Moniales dixit *tom. 2. privileg. Constitum. 6. Py V. numero 36.* Imò addo, etiam si loquantur cum illis verba vite æternæ, vt coniungit locus Constitut. modo cit. ibi: & vari. percipit documenta virtutum. Sic enim usurpant sibi Magistri iurisdictionem contra præceptum Pontificum in Constit. 10. cit. §. 93. Paruitas tamen materiæ quæ maneat in sua paruitate, exculat à mortali. Ita ille: sed sine aliquo fundamento: Constitutio enim Pontificia, quam adducit in dicto §. 93. non facit ad rem: nam primò, vt ipse paulò infra, num. 36. asserit in dicto §. 93. loquitur Pontifex de superioribus in ordine ad Regimen Nouitiatum. Deinde dicendum est, verba ibi apposita esse directiua, non præceptiua, vt ipse met paulò infra num. 18. probabiliter, me citato de omnibus Institutionibus Nouitiorum in dicta Constitutione contentis, fatetur. Quare in nostro casu ad id nunc dixit in §. 93. dicta Constitutione, continere præceptum peccati mortalis? Non videtur loqui consequenter. Et ad exemplum de Monialibus, est de iur. ratio, imò fuit necessarium, vt S. Congreg. explicaret an Regularis colloquendo cum Moniali peccaret mortaliter, vt de facto decreuit sub die 1. Iulij 1606. Et ego peto à Peyrino, si ipse *loco citato, in Constit. 6. Py V.* docuit, quod si quis Religiosus declarat alii quem casum conscientie Moniali, non peccat mortaliter, non obstante d. Decreto S. Congreg. quare peccabit mortaliter Professus cum Nouitio loquendo, vt ipse ait, verba vite æternæ? Dicendum est igitur, malè facere professum cum Nouitio loquendo absque Magistri licentia; sed non peccare mortaliter, vt vult Peyrinus seclusis alijs circumstantiis.

RESOL. CLXXIII.

An Religiosus negantes suffragium Nouitio idoneo peccent mortaliter? Et an retrahentes quempiam sine iusta causa ab ingressu Religionis committant peccatum lethale? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 19.

§. 1. **P**eregrinus *in Comment. ad nostras const. p. 2. c. 4. tit. B. §. 1.* negatiuam sententiam probabiliter putat, quam docet Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 5. c. 4. n. 59.* qui ait. Sicut culpa Nouitij leuiter retrocedentis est solum venialis, ita etiam negantes suffragium non peccant plus quam venialiter, non enim magis obligatur Religio Nouitio, quam Nouitius ipsi Religioni, quoad culpam.
2. Verum hæc opinio summopere mihi displicet, & nullus auctor, quem ego legerim, neque ante neque